

Zc  
6668

x  
1711





XV, 88.

4438.

4301



IV. 438  
ORATIO

DE VITA IACOBI

BIMILICHII MEDICÆ

ARTIS DOCTORIS

ac Professoris in hac Academia

fideliſſimi, viri optimi &

integerrimi.

RECITATA CVM DE

CERNERETVR TITVLVS

Magiſterij aliquot honeſtis & doctis

viris XIII. Cal. Mar.

1562.

PRODECANO M. EVSE

bio Memio.

Addita eſt

QVÆSTIO DE NE

ceſſitate nouæ obedientiæ, ſeu

bonorum operum.

VVITEBERGÆ excudebant Hæredes

Georgij Rhau Anno 1562.


Clariss. viro D. Adm.

anno Albumo 1710

1602. Abſias Dr N









# ORATIO.



**N** **T F A T A L E S**  
periodi regnorum mundi  
di atq; Ecclesiae, & ipsi  
rerum in orbe Christiano  
ano iam commotarum  
quasi fluctus, admonent me de vaticinijs  
traditis voce Christi & Apostolorum,  
quibus praedictum est vtrunq;  
& quod Ecclesiam horribiles ac te-  
trae religionum confusiones, atq; Im-  
periorum inter se barbaricae collisio-  
nes, ceu procellae quassaturae sint, &  
tamen mansurus sit coetus aliquis ele-  
ctorum, qui Deum recte agnoscent,  
inuocabunt, ac celebrabunt in agnitione  
et fiducia filij Iesu Christi Mediatoris,  
vsq; ad laetam & gloriosam resuscita-  
tionem piorum, Etsi erit coetus exi-  
guus, dispersus, abiectus, deformis,  
sine imperio, sine defensione et opibus,



Et impie ac profanæ multitudinis potentia oppressus.

Compleuit tyrannis Pontificum Romanorum fatalem periodum annorum quingentorum. Hanc superstitiones Et Idolatriæ crudelitate Et sceleribus constituerunt ac retinuerunt, tantisper donec duravit. Nunc luce doctrinæ cælestis velut fulmine percussa ruit, Et frustra fatiscentem undiq; ac dilabentem fulciunt satellites Pontificum nova suppliciorum atrocitate Et severitia. Nec dubium est, hos, si consilijs Et viribus proprijs nihil profecerint, vbi frustra tentarint omnia, vel Acheronta moturos esse, vt sese conseruent. Sed discutiet lux veritatis tenebras, fulguris impetus potentiam, quantacunq; comparata fuerit. Euerti enim Et quasi conflagrare necesse est regnum tenebrarum, hoc nouo repurgatæ doctrinæ incendio. Necesse est



est Zyzania, quæ succreuerunt, & doctrinam veram atq; cultus suffocauerunt, exuri, vt refulgens ex ea flamma splendor, ante finem rerum diffundatur in omnes orbis Christiani angulos, & omnibus gentibus prius innotescat. Idcirco quicquid illi pro regno tenebrarum cuderint aut struxerint, in neruum erumpet & pessum ibit.

Inijt autem cum Luthero noua periodus, et postrema inter illas, quas exprimit dictum Helie Prophetæ, sex millibus annorum bifariam distinctis quasi in ipsis articulis, in periodos duodecim. Hæc reddidit nobis, immenso & inenarrabili Dei beneficio, & opera præceptorum nostrorum hanc, de qua dixi lucem doctrinæ cœlestis, & omnium disciplinarum. Sed quàm exiguo tempore concessa fuit nobis facultas hac tranquillè fruendi? Quàm momentanea fuit fœlicitas



tas tanta? Quantas cito non necessa-  
ria et petulanter mota certamina Ec-  
clesiarum diuulsarum perturbatio-  
nes, odiorum incendia, voluntatum  
distractiones pepererunt? Quanta la-  
bes inflicta est Doctrinae magno la-  
bore ex intricatissimis labyrinthis  
eruta atq; evoluta, magnoq; periculo  
adferta atq; defensa? Quanta pate-  
facta est fenestra malis ingenijs ad om-  
ne petulantiae genus? Deniq; in quam  
rabiem plurimos adegit vulgi applau-  
sus? Tyrannis Pontificia in Monar-  
chiam conuersa est, quae cum sit infinita  
Tyrannis, seruitutem adduxit multo  
intolerabiliorem priore, in qua licet  
cuiq; quod libet: & audet quisq;, quod  
in mentem venit: Proscinduntur  
clamoribus, ac penè iugulantur boni  
ἄλλοι ὄντοι ἐν σφηκίοις: Mali trannicè  
regnant, & inter se colludentes foede-  
ra faciunt, qualia mulier faciebat cum  
Simia: μή τύπην, μήτε τυπῆσαι, μήτε



δακνερ, μήδε δακνέοθα. Deniq; inflectū-  
untur opiniones, & proyiciuntur veræ  
sententiæ ad aliorum arbitria. Exci-  
dimus ergò penè ex illa fœlicitate, quã  
latissima initia quasi renascentis Ec-  
clesiæ his terris vix ostenderunt, &  
τυράννης ὑβρηρ φεύγοντες εἰς δῆμους ἀκολάστους  
ὑβρηρ ἐμπέσομεν, ὅς ὠθέει ἐμπεσῶν τὰ  
πρήγματα ἀνεύ υἱὸς χαμαρζῶ ποταμῶ  
ἱκελθ. Adeò nihil est in rebus huma-  
nis firmum aut stabile. Quàm nunq̃  
illæ intra mediocritatis terminos diu  
se se continent, sed à medio exorbitan-  
tes leuibus occasionibus subitò in al-  
terutrum extremorum per præceps  
ruunt, suæ imbecillitatis fato, & dia-  
boli furoribus impulsæ. Nam vt Im-  
peria à iustitia & moderatione in Ty-  
rannidem degenerant: ita Religiones  
à norma pietatis diuinitus præscripta,  
vel in superstitionem efferuntur, vel  
recidunt in prophanitatem.

Superstitiones seculi superioris

A 4

vide.



viderunt ij, quorum ætas grandior est.  
Nos iuniores ab his, quales fuerint,  
accepimus. Sed quæ illis depulsis suc-  
cesserit prophanitas, cernimus vtriq̃.  
Hæc cum indies crescat, & simul au-  
geatur atq̃ confirmetur licentia quid-  
uis fingendi faciendiq̃, periculum  
est, ne lux doctrinæ, quæ videtur ful-  
guris instar momentaneo vibratu nos  
perstrinxisse, profligata disputatio-  
num partim perplexitate, partim pro-  
phanitate, deserat nos, ac migret aliõ,  
& intereat simul pietas, extincta E-  
picurea securitate, quam disciplinæ la-  
xatio peperit, & pernitiõe contenti-  
ones docentium in Ecclesia alunt. Ut  
enim nunc sese dant res, metuo adesse  
initia ruinæ venturæ in Ecclesiam  
sub extremam mundi delirantis sene-  
ctam, sicut præmonuit filius Dei, cum  
inquit: Surgent Pseudochristi &  
Pseudoprophetæ, & decipient mul-  
tos.



tos. Item, Facient signa et prodigia, ut  
si fieri possit, seducantur etiam electi.  
Item, Putas quòd veniens filius Dei  
inueniet fidem? His dictis cum signis  
ficetur vtrumq;, & quòd exorituræ  
sint in Ecclesia Idolatriæ, quibus ob-  
ruentur vera doctrina, & veri cultus  
Dei, efficieturq; Ecclesiæ vastitas, &  
quòd reliquus futurus sit cœtus aliquis  
Deum rectè colentium: precemur ar-  
dentibus votis filium Dei, vt in hoc  
cœtu nos esse velit, & semper colligat  
sibi in his regionibus æternam Eccle-  
siam, Nec propter ingratitude  
magnæ multitudinis lucem doctrinæ  
sinat extinguere.

Nititur salus Ecclesiæ funda-  
mento Christi & Apostolorum rectè  
intellecto. Ita ornamentum est ingens  
Ecclesiæ Philosophia, cum rectè, eru-  
ditè, sobriè & moderatè traditur. Et  
vt in euerfione veræ doctrinæ consi-

A 5                      stit



Stit interitus Ecclesiarum, ita pestis  
est atq; corruptela iudiciorum, quæ &  
Ecclesiæ plurimum nocet, cum pro  
philosophia instillatur animis confusio  
opinionum verarum & falsarum, &  
accesitur studium absurda defenden-  
di verborum præstigijs, sicut reperi-  
untur quos delectat Epicureos furores  
aut Stoica deliramenta, aut alias por-  
tentosas opiniones tueri. Talis consue-  
tudo parit Sycophantas, artium &  
Ecclesiæ conturbatores, quos vt ar-  
ceat Deus ab his nostris alueolis pro-  
cul, seriò & ardentè precemur.

In harum autem rerum cogita-  
tione quoties dissimilitudinem tempo-  
rum confero, deploro calamitates no-  
stras. Quantò beatiore nobis fuerunt,  
non hi tantum, qui doctrinas nobis re-  
stituerunt, sed illi quoq;, quibus con-  
cessum fuit illius verè aurei seculi fæli-  
citate frui, quo acri & indefesso stu-  
dio



dio reuocatæ sunt atq; expolitæ do-  
ctrinæ, quæ situ squaloreq; perierant.  
Nos econuersò quantò sumus illis in-  
feliciores, qui ad ea sumus seruati tem-  
pora, quibus spectare cogimur, vt dis-  
ciplinæ velut ab hostili barbarie maio-  
rum industria vindicatæ ac receptæ,  
& in integrum restitutæ, vel petulan-  
ter & impunè dilacerentur atq; con-  
uellantur, Vel noua barbarie, quæ, vt  
prouerbio dicitur, Illyrica illuue fœ-  
dior est, conspurcentur & inquinen-  
tur. Has pestes cùm Dei beneficio  
hactenus nostra Schola nondum sen-  
serit, etsi foris est grauius impetita,  
demus operam, vt quoad eius fieri po-  
terit, procul eas ab his alueolis repel-  
lamus, coniuncti studijs, operis, offi-  
cijs, & beneuolentia mutua, ne ex  
dissidijs domesticis accidat nobis,  
quod apibus intra alueolos fumo distur-  
batis. Et id quidem veræ gratitu-  
tudinis,



tudinis, quam Deo & maioribus nostris debemus, est pars non minima, de qua nos & hic dies commonefacit, qui medius est inter duos illos, quorum præcedens decimus sextus Philippum genuit, sequens decimus octavus Lutherum sustulit.

Pertinet verò ad gratitudinem etiam celebratio illorum, per quos divinitus studia literarum excitata sunt. Quare cum aliàs de alijs viris præstantibus hoc in loco verba facta sint, qui susceptæ confectæq; emendationis doctrinæ in hac Academia autores fuerunt atq; principes, et restet inter cæteros IACOBVS MILICHIVS, hunc multis de causis de legi præcipuè, de quo nunc dicerem. Fuit enim inter illos viros neutiquàm minimus, qui doctrinæ fama, eruditæ scriptis, omni virtutum genere, huius Scholæ celebritatem auxerunt, & ex-  
tant



tant eius præclara in hanc Academi-  
am merita, cuius emolumenta publica  
ea prudentia, fide atq; diligentia cura-  
uit atq; prouexit, vt qui maximè. Me  
verò priuatim semper vt filium dile-  
xit, & quibus potuit officijs studiosè  
iuuit, atq; promouit, præterq̃ quòd  
præceptorem etiam in arte Medica, et  
ducem atq; monstratorem eum habui.  
Quare debere me ei vicissim aliquam  
gratitudinis significationem agnosco,  
& vobis, qui viuum coluistis, mor-  
tuum sæpe desiderastis, breuem com-  
memorationem de meritis ipsius non  
ingratam fore confido.

Natus est Iacobus Milichius  
parentibus honestissimis in Friberga  
Brisaica, nono Calendas Februarij,  
prima noctis hora, anno à nato Chri-  
sto millesimo quingentesimo primo,  
quo tempore Saturnus, Iuppiter, Ve-  
nus & Mercurius nascentem excepe-  
runt



runt triquetris & sextilibus radijs ex  
dodecatemorijs Geminorum, Aquarij  
& Arietis. Quorum cum vim esse pe-  
culiarem & mirificam in formandis  
excellentibus ingenijs, longo usu de-  
prehensum sit, inde, quod præcipuos  
quos habuit orbis terrarum viros do-  
ctos, tali aliquo syderum positu, in lu-  
cem editos esse obseruatum est: con-  
sentaneum est ad eam ingenij magni-  
tudinem ac præstantiam, quæ in eo fu-  
it, harum stellarum lumen plurimum  
contulisse, adfulsione conuenienti in  
naturam quam à parentibus accepit  
optimam, oportune impressum.

Pater præcipuum eius vrbis ma-  
gistratum gessit, qui postea in filium  
nostri Iacobi fratrem, quasi hæredita-  
rio iure translatus est, Et antecelluit  
opinionem sapientiæ, laude iustitiæ atq;  
integritatis, & autoritate. Is cum in  
filio Iacobo perspexisset indolem ido-  
neam



neam ad literas, & discendi cupidam,  
Studijs eum destinavit, et erudiri pri-  
mum curavit in Academia patria, quæ  
tunc præ cæteris claruit, adducta sci-  
licet in admirationem ac celebritatem  
ab ijs viris, quos Germania illo tem-  
pore habuit summos. Ibi Erasmo  
Roterodamo, Ulrico Zasio, Conra-  
do Heresbachio, Henrico Glareano,  
Nicolao Gerbelio, Bedroto, Philip-  
po Egentino, & plurimis alijs famili-  
aris & carus fuit. De Erasmi pri-  
vata et domestica consuetudine ac ser-  
monibus multa narrare solebat cum  
magna voluptate: Quomodo diurnas  
operas partiri, et vt matutino tempo-  
re rebus serijs vacare commodius pos-  
set, veterum more tardius prandere,  
Inde vel amicis sese dedere, vel obam-  
bulare, & inter obambulandum vel  
colloquijs suauibus se inuitare ad hila-  
ritatem, atq; oblectare, vel ea recita-  
re



re solitus sit, quæ ex ore eius excepta,  
postea familiarium Colloquiorum titu-  
lo prodierunt. Cùm censuras referret,  
quas Erasmus in efflorescentia sub id  
tempus ingenia Germaniæ suo more,  
& pro ea qua valuit autoritate libe-  
rius agere consueverat, aiebat, illum  
de Philippo adolescente adfirmasse;  
Quòd in quamcunq; artem nervos in-  
genij intensus esset, in ea omnes  
summos artifices esset superaturus.  
Hac voce Erasmi aiebat se incensum  
fuisse ingenti cupiditate Philippi vi-  
sendi.

Postea cùm Erasmus Friberga  
discessisset Basileam, ipse de patris  
sententia se contulit in Academiam  
Viennensem, in qua magis quàm ali-  
bi tunc floruerunt eruditioris Philoso-  
phiæ studia, & præ cæteris Physica  
& Mathematica, cùm reliquæ Scho-  
læ adhuc occupatæ essent magna ex  
parte



parte barbarico cœno doctrinæ scho-  
lasticæ. Mathematicas artes Acade-  
mia Viennensis diligentia præcipua  
excoluit atq; illustravit, & prima so-  
laq; reliquæ Germaniæ impertiuit, au-  
toribus Georgio Purbachio et Iohan-  
ne de Monte Regio. Inde cùm postea  
ceu coloniæ Mathematicæ deductæ es-  
sent in Academias cæteras, paulatim  
alibi quoq; propagatæ sunt. In hanc  
nostram Academiam primi disciplinas  
illas inuexerunt Volmarus & Mili-  
chius, quas cū adolescentes cupidissi-  
mè amplecterentur, & vrgerent ac  
persequerentur certatim magno &  
alacri studio, inuitati scilicet certitu-  
dine doctrinæ, & euidenti vtilitate,  
& præcipuè exemplo atq; autoritate  
Philippi Melanthonis, qui propter  
causas grauissimas extollere eas veris  
laudibus, & ab adolescentibus seuerè  
exigere solebat, breui tempore ita cre-  
uerunt

B

uerunt



nerunt in hac Academia, vt cæteras  
his facile superarit & obscurarit, &  
laudem illustratæ Matheseos alijs præ-  
reptam suam fecerit. Huius laudis  
possessionem cum tueri nos deceat, nõ  
possum non perturbari vehementer,  
quoties ignauiam nostræ ætatis ad  
alacritatem & ardorem prioris seculi  
comparo, qui tantus fuit, vt indoctior  
haberetur, qui in his artibus versatus  
non esset, etiamsi in alijs excelleret.  
Nunc, quod turpissimum nobis erit ad  
posteritatem omnem, eò res rediisse  
animaduerto, vt non solum negligan-  
tur aut vix leuiter degustentur, sed  
planè contemnantur, & vt in tanto  
numero reperiantur pauci, qui, quod  
olim pueris familiarissimum erat ac  
tritissimum, vsitatam metiendorum  
interuallorum, & conformandorum  
thematum cæli doctrinam norint. Pu-  
deat nos ignauie tam flagitiosæ, de  
qua



qua me queri hoc in loco & decet &  
necesse est. Sed dabitur in posterum  
opera à nobis, quibus gubernatio do-  
ctrinae Philosophicae commissa est, ut  
si alia ratione fieri non poterit, vel sola  
examinum seueritate ad haec studia  
iuniores adigantur. Nunc ad Mili-  
chium redeo.

Hic inter praecipuos est, qui  
studia Mathematica in nostra Acade-  
mia excitarunt. Habuit autem praec-  
eptorem, & in his & in arte Medica  
Georgium Collimitium, Tansteterum,  
insignem doctrina virum, & artis  
Medicae cognitione vsuq; celeberrimum.  
In Graeca lingua Ritheim-  
rum. Et familiaris fuit inter caeteros  
Gasparo Ursino Velio Poetae excel-  
lenti, Philippo Gundelio, W Wolff-  
gango Lasio.

Vienna discedens venit in hanc  
Academiam anno Christi 1524. in-

B 2 uitatus



uitatus potissimum studio verae do-  
ctrinae de Deo & Philosophiae purio-  
ris, quae repurgari tunc & instaurari  
coeperant, & fama nominis Philippi.  
Vbi, quod vnicè expetiuerat, cum sese  
insinuasset in familiaritatem Philippi  
Melanthonis & Simonis Grynæi,  
quem eadem reuiuiscens omnis do-  
ctrinae politioris fama huc pellexerat,  
in eam venit apud vtrunq; opinionem et  
admirationem, propter ingenij & iu-  
dicij rectitudinem, animi candorem,  
doctrinae pro ea aetate varietatem, dis-  
cendi ardens & inexplebile studium,  
vt ad extremum vitae vsq; vtriq; fue-  
rit carissimus. Nam quanti eum fe-  
cerit Philippus, quoties in grauissimis  
consilijs eius, & dulcissimis ac pieta-  
tis et sapientiae plenis sermonibus ma-  
gna cum suauitate conqueuerit, quo-  
ties de rebus et controuersijs maximis  
iudicium eius & sententiam requisi-  
uerit:



uerit: Deniq; quoties apud eum animi  
ægritudines effuderit, ac deposuerit,  
cum mirifico alleuationis sensu, memi-  
nimus pleriq;.

Cùm ergò & ingenij & inte-  
gritatis ac diligentia specimen præ-  
buisset eximium, & spes esset vsui  
eum atq; ornamento fore publicis stu-  
dijs, tribuit ei Academia munus pub-  
licè docendi. In quo quàm fideliter &  
vtiliter seruierit Scholæ, & quantum  
nauauerit atq; effecerit ad posterita-  
tem, testatur enarratio Secundi libri  
Plinij, in qua ex doctrina Ptolemai-  
cæ & Aristotelicæ fontibus nodi ac  
Labyrinthi astronomici & Physici  
pleriq; ita sunt explicati & illustrati,  
vt difficultas, quæ visa fuit rudiori  
sæculo superiori inesse maxima, euiçta  
atq; discussa omnis videatur. Neq; ex-  
tat magis perspiciua enarratio. Vt  
enim natura ingenua & recta erat,



ita perspicuitatem maximè amabat,  
iuxta illud Euripideū: ἐδλὸν τὸ σαφές.  
Et Sycophantiam ac Sophisticen ve-  
bementer oderat, quæ in eo rectitudo  
naturæ causa erat, vt cū Vito Amer-  
bachio, qui tum hîc Physicen docebat,  
minus ei conueniret, quòd ab ea spino-  
sarum disputationum subtilitate &  
perplexitate abhorreret, cui alter stu-  
debat maximè.

Postquàm autem ingenij & do-  
ctrinæ cōmendatione inclaruisset, ve-  
nit in noticiam cūm aliorum præstan-  
tium virorum, quibus illud eruditum  
et florens Germaniæ seculum abunda-  
uit, tūm verò & Eobani Hessi ac Io-  
achimi Camerarij. Inter Camerarium  
& Milichium studiorum, opinionum  
ac voluntatum similitudine contracta  
amicitia, in eam coaluit ætate necessi-  
tudinem, vt qui Camerarium impēsius  
coluerit atq; obseruauerit Milichio,  
Et



Et vicissim qui Milichium complexus  
sit suavius Camerario, vix viderim.

Horum quoties spectavi con-  
gressus apud Philippū Melanthonem,  
cuius domus velut ex destinato Do-  
ctorum omnium undecumq; aduenissent,  
commune semper fuit hospitium, visus  
sum mihi videre παντῶν ἡδίστον θέαμα,  
quod illa synedria sapientum veterum,  
aut illorum quos apud Socratem Pla-  
to introducit Athenis, aut Lælij, Sci-  
pionis aliorūq; in Vrbe Roma mihi in  
memoriam redegit. Nec sine summa  
voluptate sæpe recordor sermonum,  
quos cūm cōuenissent habitos memini,  
non tantūm de nostris artibus, sed de  
rebus maximis in Ecclesia et imperio.  
Erat enim in Milichio præter libera-  
lem cognitionem omnium philosophiæ  
partium, & artē Medicam, excellens  
prudentia, quam, cūm natura valeret  
plurimum, auxerat atq; instruxerat

B 4      multa



multa et assidua lectione historiarum  
veterum ac recentium, in quibus co-  
gnoscendis tantum operæ ac temporis  
posuit, ut quem illi hac in parte præfe-  
ram, si Philippum excipiam & Ca-  
merarium, non habeam. Quicquid enim  
extat probatorum historicorum, id non  
tantum semel inspexerat, aut obiter  
percurrerat, sed ut erat assiduus &  
acer, iterata lectione sæpius evoluerat,  
ac planè exhauserat. Peperit ei civi-  
lis prudentia non minorem quam ars  
Medica existimationem, quæ in admi-  
rationem eum adduxit apud Illustrissi-  
mos Principes familiæ Anbaldinæ,  
quibus in adversa corporis valetudine  
medicando: In rebus dubijs aut diffi-  
cilibus sapienter consulendo plus sæpe  
profuit quam multi alij.

De Durero D. Philippus piæ  
memoriæ solebat dicere, Pictoriam,  
qua antecelluit citra cōtrouersiam om-  
nibus



nibus suæ ætatis artificibus, fuisse in  
eo minimam, tanti fecit prudentiam  
eius, & iudicij gravitatem in alijs re-  
bus. In Milichio prudentiãne artem  
Medicam, an verò hæc illam vicerit,  
meo iudicio non minus difficile foret  
decernere. Etsi erat enim Vir Medicus  
multis alijs præstantior vnus: tamen  
præeminebant in eo ornamenta pieta-  
tis, prudentiæ, & aliarum virtutum.

Docuit verò & artem Medicam  
multis annis in hac Academia magno  
cum fructu, et eandem fœliciter exer-  
cuit. Qua in re magna illi debetur gra-  
tia, non eò tantùm, quòd doctrinam  
fideliter tradidit, sed multò magis  
quòd primus artem reuocavit, atq; re-  
duxit ad fontes Græcos, è quibus A-  
rabum riuuli sunt deducti, Et audito-  
res adsuefecit, vt se duce atq; interpre-  
te doctrinam potius ex limpida fontibus  
autorum sua lingua loquentium,  
B 5                      quàm



quàm ex interpretum turbidis lacunis  
haurirent.

Erat in autoritate legum tuenda  
& tota gubernatione Scholastica se-  
uerus. In executione eorū quæ ex usu  
ac dignitate publica graui iudicio con-  
stituta muniunt statum præsentem,  
vsq; ad pertinaciam durus, memoria  
veteris dicti, quod semper in ore habe-  
bat, τὸ εὐ κείνων μὴ κινητέον. Deniq; in  
omnibus ciuilibus officijs, honestus,  
iustus, ac grauis erat. Idq; nec arte ad-  
scitum, nec astuta simulatione fucatū,  
sed γνήσιον prorsus erat, & ex vero  
constantiq; proficiscebatur iudicio,  
quod & in vultu natura effinxerat, in  
quo elucebat ἀξιωματικὸν quiddam, ad  
moderatam grauitatem honestissima  
specie compositum, & ipse ostendebat  
omnium virtutum exemplis in sermo-  
ne in gestu, atq; incessu, in quib. aspe-  
rum nihil inerat, aut deforme, nihil in-  
humanum



humanum aut insuave, nihil aculeatū  
aut mordax, nulla toruitas, sed exi-  
mia grauitas admirabili tēperata comi-  
tate, & ingenuus candor, liuoris om-  
nis atq; inuidentiæ expers. Sæpe mihi  
intuenti aut cogitanti eum, illud Me-  
nandri in mentē venit: ὡς ἡδὺ χησότης  
σωεὶσὶ κεκραιμυῖν. Quā pulchra res est  
bonitatis & sapientiæ temperamentū.

Fuit priuata eius vita exemplū  
illūstre omnium virtutum bono pioq;  
patrifamilias conuenientium. Deum  
rectē inuocabat in agnitione et fidutiā  
Mediatoris Iesu Christi. In coniugio  
castissimè vixit. Familiam insigni re-  
gebat seueritate. Erat φιλόσοφος ad-  
modum, & sobolem quam Dei bene-  
ficio procrearat numerosam, non tan-  
tū rectē institui curabat per alios, sed  
ipse quoq; adsiduè exercebat, nec desu-  
giebat laborem quotidianæ inspectio-  
nis atq; explorationis studiorū ac mo-  
rum



rum in suis. Cumq; laxitate disciplinae  
& dissolutiore vita adolescentiae ve-  
hemēter offenderetur, ne vel se absen-  
te sui negligenterentur, vel occasione li-  
centiae degenerarent, vel pravi sodalitiij  
consuetudine inficerentur, malebat ca-  
rere eo quæstu, quem si voluisset con-  
sectari, percipere potuisset vberrimū.  
Illo ergò malebat carere, quàm com-  
mittere, vt sua aliqua culpa liberi cor-  
rumperentur, quod futurum metue-  
bat, si aut crebrò abesset, aut plures  
& alienos suis adhiberet, Quæ fuit  
causa præcipua, vt solitudinem quie-  
tam, sed infructuosam in sua domo,  
frequentiae quæstuosæ prætulerit.

Deniq; familia eius erat nihil ali-  
ud quàm Ecclesia parua, quã ipse gu-  
bernabat, vt Antistes partitis operis  
cum socia cōiuge, matrona honestissi-  
ma & grauissima, & verè præstabat  
hoc quod iubet Paulus inquitens: ταῦτα

λογ=



λογιζομαι, ὅσα ἔστιν ἀληθῆ, ὅσα σέμνα, ὅσα δίκαια,  
ὅσα προσωιλῆ, ὅσα ἔυφημα.

Cum autē cupiditas cognoscendi fontes doctrinæ cœlestis præcipuè huc eum perpulisset, nihil prius habebat nec postèrius studio sacrarum literarū. Legebat itaq; adsiduè & diligenter Prophetica & Apostolica scripta, & his addebat probatorum autorum cōmentarios veteres et recentes. Doctrinam verò ita perceperat, vt omnium controuersiarum momenta & fundamenta rectè & integrè intelligeret.

Tanto autem flagrabat amore discendi, vt neq; cum valeret incommodius, neq; cum ætas ingrauesceret, sibi parceret, Et reprehendentibus hanc nimiam adsiduitatem obyciebat versum Solonis: γηγάσκη δ' αἰὲρ πολλαὶ δίδασκόμεν. Temporis tam parcus erat dispensator, vt nemo eum domi suæ reperit, nisi aut legentem, aut  
com.



commentantem aliquid, aut quod rarum erat, cum amico aliquo taxillis ludentem, Quo ludi genere præcipue, & præsertim à prandio delectabatur. Imò ne quidem intempestivas lucubrations à cæna & ante somnum moderabatur. Cui rei & insomnia tribuo, quibus laboravit. Tenuem enim admodum ac breuem habebat somnum, & causam morbi, quo extinctus est. Non dubium est enim, nimias & adsiduas, atq; intempestivas animi intentiones, adflixisse in eo cerebri & ventriculi vires, cum esset alioqui corpore succulento & pleno. Ea sese πλεονεξία tandem in ἀποπλεξίαρ exoneravit, cerebro obruto atq; oppleto. Quod sibi mortis genus aliquantò antè ex inditijs non obscuris ipse prædixit. Nam et vertigines crebriores sentiebat, quibus antea tentari non erat solitus, & tantas quidem, vt aliquando non sine periculo ex  
alto



alto per præceps in terram deciderit.  
Et cum æstate præcedente grauer  
decubisset, & sine vlla euacuatione  
corporis mediocriter restitutus esset,  
subinde maius malum sibi videbatur  
ominari. Decessit autem ex hac vita  
quinta die, postq̃ apoplexia correptus  
esset, repetitis subinde non dubijs si-  
gnis animi intus ardentis Veris Spiri-  
tus sancti motibus, quarto Idus No-  
uemb. anno 1559. Paulò ante mor-  
tem, cum apud Philippum Melantho-  
nem multa de Ecclesia piè & grauer  
locutus esset, addiderat de morte: Etsi  
sit iter durum, tamen cum sciat homi-  
nes non casu nasci ad tantas calamita-  
tes, sed restare aliam vitam meliorem,  
se expetere illius vitæ sapientiam, vbi  
Deum coràm, & causas mirabilium  
operum in natura cernat, & ducente  
filio Dei, spe fruendæ illius sapientiæ  
se minus ab illo itinere abhorre.

Hæc



Hæc de viri & Medici optimi, et  
præceptoris de me præclarè meriti vi-  
ta, quantum ex familiari & domesti-  
ca cum eo consuetudine mihi observare  
& cognoscere licuit, cōmemorare vo-  
lui. Cū autem ornamentū ingens fu-  
erit Academiae nostræ, grati memori-  
am eius conseruemus, & Deo gratias  
agamus, quòd talem huic Scholæ virū  
dederit. Precemur etiam filium Dei,  
vt cū paulatim bona & recta ingenia  
deficiant, et periculū impendeat Ecclē-  
siæ maximum, à noua et tetriore bar-  
barie, q̄ quæ fuit antea, vt ipse excitet  
et instruat idoneos homines, qui succe-  
dentes in vestigia eorum, quos fata ab-  
riperunt, fideli cura et studio doctri-  
nas à maiorib. quasi per manus tradi-  
tas custodiant ac propagent. Deinde  
vt tueatur hos nostros alueolos, & sit  
Rector noster, ac gubernet nos Spiri-  
tu suo sancto.

DIXI.

Quæstio



# QVÆSTIO.

Sæpè ego, Viri ornatissimi, stans  
hoc in loco, & recordatus sum eorum,  
qui ante me ex his subsellijs  
dixerunt, Et cogitans de his, uehementè  
ter perturbari & excruciarì animo cœpi,  
non ob meam tantùm in dicendo  
infantiam ac tenuitatem, imparem  
eruditioni & splendori eorum, quos  
hîc me præcessisse memini, Sed multò  
magis propter causas alias grauiissimas,  
de quibus me cùm locus hic, tùm tempus  
præsens commonefaciunt. Nam  
quales nobis uiros hesterna & crastina  
dies, decima sexta scilicet & decima  
octaua Februarij, & dederit & abstulerit,  
uos ipsos, pro uestra sapientia &  
pietate, non sine ingenti dolore animi  
recordari arbitror. Hesterna enim fuit  
lux illa foelix & Ecclesię salutaris, qua  
ante annos sexaginta quinque natus est  
uir sanctę & immortalis memorię,  
Reuerendus Præceptor noster, D. Philippus  
Melanthon, Crastina uerò infau-  
fausta illa & calamitosa Ecclesię dies  
C est,



est, qua ante annos sedecim extinctus  
& à nobis abductus est, uir itidem in-  
comparabilis & æterna immortalitate  
dignus, pater ac Præceptor noster, D.  
Martinus Lutherus, uerus & indubita-  
tatus extremæ ætatis ELIAS.

Horum uirorum, qui paulò antè  
ornamentum & decus istorum con-  
gressuum summum, & Rectores eorū  
præcipui fuerunt, cum recordarer, &  
conspectum ac præsentiam eorum re-  
quirerem, Simulq; reputarem mecum,  
quàm tristes Ecclesiæ confusiones  
mortem utriusq; consecutæ sint, &  
nunc uelut morbi ἐπιδημοὶ ac Sontici  
passim in Ecclesia grassentur, ita per-  
turbatus sum, ut ad dicendum insti-  
tuere animum non possim. Nam præ-  
terquam quòd nec natura, nec doctrina,  
nec dicendi facultate instructus  
sum, qua in hunc ornatissimum con-  
sessum uestrum prodire cum fiducia  
aliqua ausim, impedior etiam illo ipso  
dolore ac perturbatione animi, quæ  
mihi & uerba idonea & res necessarias,  
si qua tamen occurrere, talia in tanta  
im-



imbecillitate mea possent, elidit. Et quod accidere ægris & perturbatis dolore animis solet, ita me, de oratione idonea cogitantem, excruciat, ut pene totus exanimer. Oro igitur reuerenter, ut qui multos alios hoc in loco dicentes benignè audiuiſtis, me quoq̃, non fiducia ingenij aut eloquentiæ, sed pro consuetudine scholæ, & de sententiâ atq̃ autoritate præceptorum nostrorum, paucula quædam, balbutientem uerius q̃ dicentem, non grauatim audiatis.

Quia autem alius alia de re hîc disputat, Et cùm multæ aliæ in Ecclesia controuersiæ grauissimæ post Lutheri & Philippi obitum, proh dolor, agitari cœptæ sint, tùm hæc imprimis, de Necessitate nouæ obedientiæ in renatis, Quam sub anni huius initium quidam in uicinia nostra tetro & horribili furore ita renouauit, ut obedientiam renatorum non solùm non necessariam, Sed ad placitum Fidei liberam esse cõtendat. Ego, ut & me, & scholam erudi-  
diripetam, de hac potissimum re quæ-  
rendum



rendum aliquid existimaui. Quæso  
itaq; ut me patienter audiatis, præstabo  
enim & breuitate orationis, ne facilitas  
te uestra abusus uidear.

Est autem hæc controuersia, Sic  
ne probanda recens illa Antinomo-  
rum sententia, quam quidam acerrimè  
propugnant, Nouam obedientiam,  
non solùm non necessariam, sed ad  
placitum Fidei liberam esse?

Magna causa est, & magno con-  
natu annos aliquot iam acta & agita-  
ta. Et ut haud dubiè meministis, non  
solùm patronis & defensoribus uarijs  
propugnata, Sed etiam, quod in men-  
dacijs necesse est fieri, pharmacis dissim-  
ilibus, ijsq; omnibus *νοσθοῖς* & noxijs  
curata ac medicata. Nec enim satis  
fuit, *πρωταγωμισαῖς* horum certaminū,  
necessitatem nouæ obedientiæ qua-  
licunq; prætextu asserendę salutis rena-  
torum, subdolè tollere & negare, Nisi  
& hoc adiecissent, saluandis eam per-  
niciosam esse, & salutis eorum officere.  
Nunc quasi nondum satis sit dictum,  
aut sciens quis in perniciem suam rui-  
turus



turus sit, noui illi pugiles & patroni,  
recens hoc & fanaticum de libertate  
commentum tanquam corolarium ad-  
ijciunt, ut qui obedire Deo fide & con-  
scientia bona studuerit, liberè se & uo-  
lentem ad perniciem suam contendisse  
ac properasse intelligat. Alij ut effica-  
tius hoc ipsum seu anteuertant seu pro-  
hibeant, iam in truncos, iam in hostes  
DEI, acerrimè Deo repugnantes,  
conuersos & renatos immutant, Qui  
liberè nec obedire Deo possint, Nec si  
possint, uelint: Sed partim ut trunci,  
partim ut hostes repugnantes ad DEI  
arbitrium fingantur & formentur.

Sed cohorresco toto pectore &  
corpore hæc portenta cogitans ac refe-  
rens. Et tamen Ecclesiæ permultum in-  
teresse statuo, ut de his furoribus &  
præmoneatur, & monstratis horum  
seu portentorū seu præstigiærum fon-  
tibus erudiatur iuuentus. Etsi autem  
sophistica per senfinita & mendacium  
ἀκαταληπτόν est, Ac in his quoque porten-  
tis non unum tantum præstigiærum ge-  
nus adhibetur, Tamne hoc uidetur re-



centis ἑωλοκρασίαις de libertate obedientie argumentum esse præcipuum ac primarium. Quodcumque necessarium est, id & coactione extortum & meritum est. Sed obedientia noua in renatis, nec coactione extorta, nec meritum est. Ergo non est dicenda necessaria, sed ad placitum Fidei libera.

Postea, ut commentum blandum incautæ & stolidæ multitudini, quæ laxari libertatem lætatur, alijs seu blanditijs seu delitijs conditam instillent & imprimant efficacius, hunc etiam paralogismum, tanquam cœlitus demissum oraculum iactitant, & singulis propemodum paginis & lineis infarciunt, & ampullis uerborum sesquipedalianum exornatum & inuolutum uendunt. Impossibile est promissionem certam esse, cum qua ponitur conditio obedientie necessariae. Sed promissionem uitæ & salutis æternæ oportet esse certam, Nam ideò eam Paulus ex fide & gratuitam esse contendit Rom: 4. Non potest ergo simul poni conditio necessariae obedientie, nec excludenda sunt



sunt tantum merita operum, sed ipsa  
etiam praesentia seu necessitas obedi-  
entiae necessariae.

De his paralogismis ego quoque  
interdum mecum cogito, & seculi nos-  
tri furores ueris gemitibus deploro,  
quod conceditur istis furis, ut tam tri-  
uolis, putidis, insulsis, & magis ex im-  
pudentia & malitia, quam inscitia natis  
praestigis, de re tanta in Ecclesia ludere  
impune ausint. Quid est enim putidus  
us aut insulsus, quam intelligere necessi-  
tatem de coactione aut tortura, Et de  
ea ipsa somniare, eam nescio quod in-  
gens meritum aut esse aut in se inclu-  
dere? Item fingere, necessitatem hanc  
promissionis gratuita certitudinem  
euertere aut labefactare. Nam ut de  
coactione non disputem, quam omnes  
non stupidi & non dementati Antino-  
morum fascino, intelligunt, uocabulo  
necessitatis falso affingi, Qualis hic stu-  
por est, sibi ipsi in adiecto contradicens,  
coactum quid & quocumque modo ex-  
ortum, meritum esse asseuerare? An  
cuiper somnium in mentem unquam



uenit, meritum esse, cum quis homicidio, adulterio, furto, aut simili aliquo scelere pollutus, ad supplicium & poenam sustinendam cogitur: Et quæ causa est alia, quòd & olim Pelagiani ab Ecclesia uerè accusati & condemnati, nostro quoque tempore Monachi & totum agmen Pontificium iustissime reprehensi sunt, Quòd liberum arbitrium in homine finxerunt, Nisi quia intellexerunt sapientes & eruditi in Ecclesia Doctores, posita arbitrii & uirum nostrarum libertate seu ἀυτεξουσίᾳ tali, qua faciens quis quod in se est, non solum de congruo, sed etiam de condigno uitam æternam mereatur, poni & confirmari Pelagiana & Papistica de merito somnia.

Nunc uerò illis explosis, boni isti libertatis defensores, nouum meritorum genus somniant, ex repugnantissimum, quam fingunt, coactione. Ita uerè de his prestigijs dici potest Euripideum illud: πάντα γὰρ τούτοις πρόξ ηὐγὴ πάντα ἐλιξ ηὐγὴ οὐδ' ἐρ' ὄξιν υἱ γίγες. At eadem necessitas obedientiæ, quæ quidem sic ponitur

tur



tur ac requiritur, ut tanquam fructus  
fidei & Spiritus sancti iustificationem  
sequatur, si promissionis gratuita certis-  
tudinem euertit aut labefactat, Quæ  
ratio est, quod antecedens conditio Fi-  
dei illam ipsam non impedit aut labe-  
facit. Traditur enim promissio remis-  
sionis peccatorum, salutis & uitæ æter-  
næ, hoc modo, ut fide accipiatur, Nec  
est aliter aut alijs rata, nisi his, qui fide  
eam accipiunt, sicut inquit Paulus,  
Iustificati fide pacem habemus. Item,  
Ideo ex fide gratis, ut promissio firm-  
ma sit. Hæc antecedens conditio fi-  
dei necessariæ, cum non impediat pro-  
missionem, quo iure accusatur sequens  
obedientiæ debitum, quod uox diuina  
tam adfirmat esse necessarium, quam  
priorem seu contritionis seu Fidei con-  
ditionem. Et in regula Paulina, quæ est  
definitio obedientiæ necessariæ propriis-  
sima & eruditiss. utraq; copulantur, fi-  
dei & bonæ conscientie studiũ & neces-  
sitas, Milita bonam militiam, retinens  
fidem & bonam conscientiam.

Sed etsi fateor ac protestor, me

C 5

totos



toto pectore ab his Antinomicis blasphemis abhorrere, Tamen chaos praestigiarum, quibus haec portenta palliant, & inuoluunt Antinomi, uideo magis esse multiplex ac uarium, quam ut me ipsum euoluere inde possim. Nec tempus hoc, & mea etiam tenuitas longior rem mihi orationem hoc in loco concedit aut suppeditat. Itaque quaestionem hanc defero ad Reuerendum & Clarissimum uirum D. Doctorem Paulum Eberum Ecclesiae nostrae Pastorem, Eumque rogo & meo & Scholae atque Ecclesiae nomine, ut pro sua erga Ecclesiam fide & amore singulari, causam hanc diiudicandam & explicandam suscipiat, Ac nunc, quantum fieri potest, & me & scholam de hac re erudiat.

DIXI.

## RESPONSIO

**R**euerende & doctissime Vir, recordor & ego eorum, de quibus in oratione tua dixisti, & uirum Reuerendum & Clarissimum D. Doctorem Iohannem Bugenhagium Ecclesiae



clesiæ nostræ Pastorem, & nostrum  
omnium patrem meminî, quanta cum  
læticia sæpe ad hos congressus accesserit.  
Dicebat enim, ad nullas se festiuitates  
scholasticas libentius, aut maiore  
cum gaudio uenire, quã ad has Magi-  
strorum renunciaciones, quibus miri-  
ficè se affici asseuerabat, non eò tantũ,  
quòd ex hac uelut palestra multa ex-  
cellentia ingenia, quorum opera Eccle-  
siæ & Respub. præcipuæ in Germania  
uterentur, prodîsse meminisset, Sed  
ideo quoq;, quòd de rebus optimis &  
necessarijs hic differi, & placida senten-  
tiarum collatione ueritatem à pijs, so-  
bris & intelligentibus uiris inquiri ani-  
maduerteret, & sciret collationum ac  
disputationum illarum omnium Re-  
ctorem ac gubernatorem esse eum uir-  
rum, qui de thesauro optimo cordis sui  
non nisi selecta & optima, uetera & re-  
centia, promere, & ad usum Scholæ  
ponere semper soleret.

Accedo autem ad hos congressus  
ego quoq; non alijs de causis, nec  
minori cum uoluptate; Sed nunc &  
die



die præfenti & oratione tua commo-  
nefactus, dum orbitatem nostram in-  
tueor, & eos quos dixisti uiros animo  
& oculis desidero, dumq; statum Ec-  
clesiæ tristissimum, qui mortem eorum  
subsecutus est, tacite mecum recenseo,  
ita percellor atq; commoueor animo,  
uix ut recolligere me possim, & auget  
mihi dolorem disputatio quam propo-  
sisti, quam ante paucos dies publico  
scripto expositam & defensam à Do-  
ctore Andrea Musculo non sine lac-  
chrymis ac gemitibus plurimis aspexi  
ac legi. Et quanq; potissimum gloriæ  
Dei & Ecclesiæ causa doleo, ut par est,  
manifeste impia & falsa, & in Deum  
contumeliosa, & Ecclesiam huius tem-  
poris ad uniuersam posteritatem de-  
formantia publice spargi & defendi:  
tamen & eorum uirorum, de quibus  
dixi memoria mihi dolorem exacer-  
bat, quòd alterum Philippum ab ho-  
mine isto audaci impudenter, allatrari  
& lacerari uideo, Alterum uerò, Luz-  
therum uidelicet, quem omnes acerrim-  
um & implacabilem Antinomice  
factiæ



factionis hostem in uita sua fuisse, & ad  
extremum usq; spiritum permansisse  
meminimus, disputationis abominan-  
de et perpetuò ab ipso refutatae ac dam-  
natae, patronum ac defensorem com-  
stitui ac produci praecipuum & uni-  
cum, perperam allegatis ac deprauatis  
scriptorum ipsius testimonijs, Id tam  
acerbum animo meo dolorem affert,  
ut uerbis eum exprimere non possim.  
Sed sunt haec fatua illa et postrema tem-  
pora mundi senescentis & delirantis,  
& in perniciem suam furenter ruen-  
tis, de quibus in Paulo dictum est 2.  
Thess. 2. Quoniam charitatem uerita-  
tis non receperunt, ut salui fierent, ideo  
immittet illis Deus efficaces illusio-  
nes & errores, ut credant menda-  
cio, ut iudicentur omnes, qui non  
crediderunt ueritati, sed approba-  
uerunt iniusticiam &c. Sed has que-  
relas o mitto & abrumpo, quibus  
nec proficimus quicquam, nec mutare  
quae facta sunt, possumus, & ut meo  
loco, quantum in hac breuitate fieri  
potest, consuetudini Scholae seruiã, ad  
quaestionem



quæstionem & argumenta à te propo-  
sita uenio.

Rectè dixisti de maiore proposi-  
tione primi Argumenti: Insulsissimum  
figmentum esse, cogitare de necessitas-  
te, quòd significet coactionem, aut tor-  
turam, aut meritum, Sed est illustrior  
refutatio, si ad negatiuam hanc adda-  
tur & affirmatiua, quid propriè & qui-  
dem uniuersaliter uoce, Necessarij, si-  
gnificetur.

Est autem Necessarium, quodcum-  
que sapientia diuina sic sancitum est, ut  
impossibile sit id mutari, aut dari eius  
oppositum, nisi Deus ipse, quod semel  
sanxit, mutet, impediatur, aut contrarium  
liberrima uoluntate faciat. Et quidem  
in hac ipsa disputatione de Noua obe-  
dientia, Necessarium significat ordi-  
nem diuinum, sancitū creaturæ ratio-  
nali conditæ & redemptæ à Deo, ut sit  
in ipsa conformitas cum sapientia et ius-  
ticia diuina, uel integra uel inchoata,  
quem ordinem impossibile est mutare  
aut sancire aliter, quia sic à Deo sancia-  
tus est, & non mutatur in tota æterni-  
tate.



tate. Deus enim in tota æternitate nec uult nec approbat in creaturis rationalibus alium agendi ordinem, quæquam lem his naturis à se conditis & redemptis immensa sapientia sua sanxit ac tradidit.

Complector in definitione omnes gradus Necessitatis, de quibus alibi dicitur, nec possum propter temporis angustiam exemplis eam declarare, quomodo singulis necessitatis gradibus congruat. Postea in definitione Necessitatis pertinentis ad hanc propositam disputationem, Angelos & beatos homines simul comprehendo. Angelorum obedientiam affirmo necessariam esse eo ipso, quia his confirmatis in bono, alius agendi aut obediendi ordo, quam ut diuinæ sapientiæ & iusticiæ conformes sint in tota æternitate, non sancitur nec sancietur, & quia impossibile est dari Angelum beatum & in bono confirmatum, huic ordini sapientiæ & iusticiæ diuinæ non conformem.

Sic renatorum obedientiam dico esse



esse necessariam, etiamsi non est ut An-  
gelorum, integra conformitas, sed tan-  
tū tenuis & sordida inchoatio, quia  
homini primū à Deo condito, & po-  
stea precioso sanguine filij Dei redem-  
pto, hic ordo agendi & obediendi san-  
ctus est, ut obedire Deo fide et consci-  
entia bona incipiat, Et quia impossibi-  
le est dare renatum, in quo huius obe-  
dientia nulla est inchoatio.

Suntq; considerandæ huius seu  
Necessitatis seu ordinis immutabilis in  
hominibus causæ propriæ & immedi-  
atæ. Vult Deus creaturam à se condit-  
tam sibi, ut Archetypo, conformem  
esse. Etsi igitur in diabolis & hominib;  
bus huius ordinis conturbatio tetra &  
tristis facta est, tamen cum non sint ab-  
iecti homines ut diaboli, manet his  
perpetuò & in tota æternitate hæc ob-  
ligatio, ut sint Archetypo conformes.  
Et Deus ipse in omnibus hominibus  
uniuersaliter hunc suum ordinem tue-  
tur ac uindicat, & pœnis atrocibus des-  
truit quicunq; hanc obligationem seu  
debitum obedientia negligunt, & atroc-  
cibus



cibus delictis contumaciter uiolant.  
Nec sola corpora talium hominum la-  
terat aut destruit, sed ipsis mentibus  
& cordium penetralibus ceu carnifi-  
cem & uindicem seuerissimum im-  
pressit, conscientiam, quæ etiam cum  
foris non affliguntur aut cruciantur  
corpora supplicijs & poenis, tamen  
mentes excruciat, quæ tormenta in in-  
finitum corporis lacerationes exupe-  
rant. Hoc debitum ex creatione reli-  
quum non solum non deletur in rena-  
tis, sed alio seueriore uinculo confir-  
matur. Nam cum immensa misericor-  
dia genus humanum per & propter  
Filium recipiatur, Filius ad redimen-  
dum ac reparandum homines missus,  
non ideo sanguinem preciosum pro-  
fundit, ut licentiam ac libertatem faci-  
endi quidlibet, & aduersandi ordini  
sapientiæ ac iusticiæ diuinæ comparet  
aut confirmet, nec credentibus & re-  
natis hic ipse Filius et redemptor Spiri-  
tum sanctum ita donat, & in corda eorum  
effundit, ut ociosus in his uel dormiat  
uel ad quascunq; ipsorum libidines ad-  
sit

D

sit



lit aut conuiueat, Sed hoc ipsum debi-  
tum, quo conditori tanquam Arche-  
typo obligati sunt, stabilit & adimplet,  
& dato Spiritu sancto motus tales in  
ipsis accendit, qualis & ipse Spiritus  
est, Et hic ordo sapientiæ & iusticiæ di-  
uinæ requirit, atq; ita adiuuat renatos,  
ut quod suis uiribus nequeunt inchoas-  
re, isto saltem auxiliatore possint.

Hæc uincula tanta sunt, ut nul-  
lus possit cogitari furor magis teter &  
abominabilis, quam facere ex obedi-  
entia renatorum rem liberam, arbitra-  
riam, & quod fortassis paulò post di-  
cent, si impune hæc licentia disputan-  
di procedet, adiaphoram, quæ ad pla-  
citurum fidei præstari uel omitti possit et  
soleat. Sed ô rem miseram, talia à Do-  
ctore Ecclesiæ non solum disputari,  
uerum etiam publicis scriptis defendi  
& propugnari.

Sed addo & de Minore commo-  
nefactionem necessariam ad refutatio-  
nem huius Sophismatis: Non est coac-  
tum quid, nec meritum renatorum  
obedientia, sed spontaneo et liberrimo  
spiritu



Spiritu præstatur. Ergò non dicenda  
necessaria obedientia renatorum. Verum  
est antecedens, nec quisquam san-  
nus id negat, Sed hinc non sequitur,  
Ergò libera & ad placitum fidei arbi-  
traria est obedientia. Nam hoc ipsum,  
ut libero, spontaneo, & hilari spiritu  
præstetur, non uel pœnarum metu,  
uel meritorum fiducia, est necessarium  
& diuino ordine sancitum. Vt Ange-  
lorum obedientia nec coacta est, nec  
meritorum fiducia præstatur, nec ulla  
eis maior aut syncerior uoluptas est,  
quàm obedire Deo: & tamen est ne-  
cessaria, quia hoc ipsum sciunt Angeli  
diuinitus sancitum esse, ut hilariter sua  
munia & obedientiam uniuersam præ-  
stent atq; obeant. Ita in pijs & sanctis  
parentibus, beneficentia erga natos  
spontanea est, & eò ardentior ac pur-  
rior, quò magis promptæ & bonæ sunt  
parentum naturæ, tamen re ipsa est ne-  
cessaria, quia natura sic à Deo ordina-  
ta est. Ideò barbarica insulsitas est,  
propterea necessitatem obedientiæ im-  
pugnare aut negare, quia ab hilari &



spontaneo spiritu proficiscitur. Et di-  
uersissime res sunt, spiritus spontaneus  
seu promptus, & libertas seu potius li-  
centia ad placitum faciendi quidlibet.  
Sed in re manifesta quid opus est im-  
morari?

De altero etiam argumento res-  
cte dixit tua oratio: Non everti certi-  
tudinem promissionis sequenti obedi-  
entiae debito, Vt non evertitur propter  
antecedentes seu contritionis seu fidei  
conditiones. Nam ut in omni uera  
conuersione iustificationem & uiuifi-  
cationem antecedit necessario contri-  
tio & mortificatio, ut in curatione uul-  
neris necessario antecedit doloris sen-  
sus, Nec illo antecedenti impeditur cu-  
ratio aut uiuificatio: Ita accepta remis-  
sione peccatorum & Spiritu sancto se-  
quens obedientia non modo non im-  
pedit aut labefacit fidei & consolatio-  
nis acceptae certitudinem, sed potius  
dulce documentum est, ostendens cer-  
to conuersionem inchoatam, & cor-  
tale domicilium ac templum Dei fa-  
ctum esse. Quomodo autem sordida  
illa



illa et imbecilla inchoatio placeat Deo,  
& qua ratione de hac ipsa Quaestione  
erudiri pias mentes oporteat, alibi pro-  
lixè & sepe dicimus. Nam utrunq; do-  
cemus, necessarium esse pijs mentibus,  
ut intelligant, et quomodo persona ac-  
cepta sit, & quomodo languida eius  
obedientia placeat. Nam has quoq;  
barbaricas uoces execramur: Deus  
non curat opera. Item, Bona opera sa-  
luti obsunt. An Deus non curat rena-  
torum obedientiam, cum horrendam  
iram suam etiam aduersus electorum  
peccata in poenis tristissimis declaret,  
ut Dauidis & similium? Quare etiam  
hoc docemus: Etsi Noua obedientia  
non est remissionis peccatorum, aut  
uite aeternae meritum, tamen et praemia  
habet in hac uita & post hanc uitam,  
de quibus dixi differi alibi copiosius.  
Quare non addo plura. Sed oro Fili-  
um Dei Dominum nostrum Iesum  
Christum custodem & caput Ecclesiae  
suae, ut clementer nos doceat, & dile-  
ctam Ecclesiam suam regat, seruet,  
protegat, & à furoribus Diabolorum  
D 3 liberet.



liberet. Eundem quoque oro, ut uestra  
studia regat & fortunet, ut seruiant  
gloriae Dei, & sint salutaria  
Ecclesiae & uobis.  
DIXI.

RECTOR ACADEMIAE  
VVITEBERGENSIS, IOHANNES  
*Schneideuuein Iuris utriusque Doctor*  
*& Professor etc.*

QUEM gladium Simeo apud  
Lucam praedicit penetraturum  
animam Mariae uirginis Ma-  
tris Christi, is non desinit nunc etiam  
piorum corda scindere, quibus aegri-  
tudines afferuntur diuersis tempori-  
bus diuersae, sed genere tamen eadem  
omnes omnibus quibus ueritas curae  
est, pro eo uero ut unusquisque animo  
est firmiore aut teneriore, ita longius  
aut breuius tempus ea uulnera susti-  
net. Hesternae autem die sub horam  
matutinam Sextam decessit Reueren-  
dus Vir Dominus Magister IO-  
HANNES STVRIO noster,  
natus CVRIAEE Nariscorum,  
qui



qui cum nuper ex longi temporis  
Ophthalmia, (quo uno morbo ille la-  
borare in uita solebat) conualuisset,  
nudiusdecimus octauus, penè subito  
ita simul & cerebro & corde afflicto  
esse coepit, ut natura succumberet, &  
uita ei heri extingueretur, ex qua sic  
migravit, ut cum paulò ante mortem  
de parta ei salute per Christum, pecca-  
torum remissione, et uita æterna à Col-  
lega admoneretur, multis audientibus  
responderet, se de his omnibus esse cer-  
tissimum. Hunc minime uulgari in-  
genio & uirtute præditum uirum fuisse,  
se, testes nobis esse possunt omnes, qui  
eum nouerunt, In primis tamen & A-  
cademiæ nostræ & huic ciuitati uni-  
uersæ spectata pietas & fides huius est,  
cum in Ecclesia nostra docuerit annos  
continuos octo, inferiore quidem &  
Diaconi loco, sed ita instructus omni-  
bus, quæ in Ecclesiæ Christi doctore  
requiruntur, ut inter primarios locum  
tueri facile potuisset, & recordamur  
D. Phil. Melanthonis præceptoris &  
parentis nostri, reuerendæ memoriæ,



iudicium de hoc Sturione nostro, quo  
dignum eū qui præficeretur Ecclesiaz  
sticæ gubernationi censebat. Repeta-  
mus animis nostris homilias huius,  
quis in his unquam pietatem, doctri-  
nam, cogitantiam, facundiam deside-  
rauit? Addamus & libertatem inge-  
nuam, Christiano doctōri necessaris-  
am, neq; enim erat publicè aut priuas-  
tim ad ullos ἀπαρησίᾳς, multò mi-  
nus is, qui πολιτικώτερον ἢ εὐσεβέστερον  
doceret, aut τῆ δυνάμει τοῦ λόγου πῶς δι-  
πλόω circumdaret, quæ sunt antiqua  
in Ecclesia crimina. Industriæ autem  
in laboribus perferendis hoc etiam ar-  
gumentum esse potest, quòd cū in  
postremum hunc morbum incideret  
nō tam de corporis doloribus ad ami-  
cos quereretur, quàm quòd homiliam  
conceptam de uerbis Pauli, quæ sunt  
in I. ad Corinth. cap. 4. de ministerio  
&c. & ad diem postridianam publicè  
explicanda erant, hanc igitur quòd  
obire non posset, & constitueram, di-  
cebat, docere Theologiæ discipulos  
nostros, quomodo in hoc studio uer-  
sari



sari eos oporteret. In docendo igitur  
& mysteriorum communicatione omnes  
sensimus operam huius fidelem &  
salutarem, in cæteris quæ fuerunt cura-  
tionis huius, quæ sunt, ut ueteris Ec-  
clesiæ uerbis referamus, ἐπισκέψεις τῶν  
ἀσθενούντων, παρακλήσεις τῶν λυπυμένων,  
βοηθείαι τῶν καταπονηθέντων, In his igitur  
omnibus, & in omni genere officio-  
rum & commodationum, diligenti-  
am, fidem, efficacitatem, & facilitatem  
huius experti permulti sunt, ex  
quibus qui mortui sunt, celebrabunt  
eum testimonijs suis in altera uita, Super-  
stites autem lachrymis suis de hoc  
testantur, quæ utinam ne requirant de-  
inceps, fuit enim is uir Sturio noster, ea  
pietate, uirtute, constantia, integritate,  
fide, cui corpus & animam recte  
credere potuimus, quorum non est  
magnus numerus. Ingenium autem  
eius ut rectum & probum, ita ad omne  
disciplinæ genus idoneum erat, etiam  
ad mechanica illa, quorum beneficio  
τεχνῆ κρατούντων ὡς φύσει νικῶμεθα. Itaque  
præter scientiam linguæ sanctæ & Ec-  
clesiæ



clesiæ doctrinam, quæ est scientia san-  
ctorum, uniuersæ philosophiæ mini-  
mè uulgarem cognitionem sibi com-  
parauerat, in primis autem naturæ o-  
perum atq; effectuum considerator  
erat & scrutator diligens, & explicator  
acutus, eaq; re ad salutem hominum  
multipliciter utebatur. Sed cōmemo-  
rationi uirtutum huius aliæ occasiones  
dabuntur, & æger animus ad has cele-  
brandas idoneus esse non potest. Cùm  
autem hoc tempore **DECANVS**  
etiam collegij Philosophici in Acade-  
mia nostra ille fuerit, propius nos at-  
tingit hic dolor, nec scimus an à tem-  
pore foundationis huius in hoc munere  
constitutum aliquem illa sepeliuerit.  
Mea etiam ualetudo quæ sit non igno-  
ratis, Sed nos Reipublicæ cura afficit,  
quam talibus uiris, qualis fuit **STV-  
RIO** noster, orbari, miserum est &  
calamitosum semper, non etiam nun-  
quàm ominosum esse solet. Sublatis  
quidem fidelibus in Ecclesia doctori-  
bus & ministris, qui sunt  $\chi\rho\iota\sigma\upsilon\ \sigma\acute{o}\mu\alpha$ ,  
& concidit illud  $\mu\alpha\kappa\acute{\alpha}\rho\iota\sigma\tau\omicron\upsilon\ \tau\omega\mu\ \psi\upsilon\chi\acute{\omega}\nu\ \acute{\alpha}\nu\theta\acute{\iota}\nu\alpha\tau\omicron\upsilon\ \gamma\alpha\lambda\lambda\acute{\iota}\alpha$



γαλλίαμα, ὃ ἐπὶ ταῖς σάραξιν καὶ τῆς κοίτης  
ωνίας τῶν πνευματικῶν χαρισμάτων ταῖς  
ψυχῶν ἐγίνεται τῶν πισεύοντων εἰς κυρίον,  
& sequuntur mala grauisima alia.

Hortamur igitur & cæteros nos-  
tros, & Scholasticos uniuersos, ut ho-  
die mox hora XI. ad exequias funeris  
ante ædes quas incoluit M. Sturio nos-  
ter, conueniant, & hoc ultimum officium  
deductionis suæ persoluant ad  
ministrum doctrinæ sacrae & mysterio-  
rum communi, & præsidi studiorum  
philosophiæ, & coniuncto liberalissi-  
mæ communitatis societate, doctorem,  
collegam, necessarium, amico, publice  
quidem de uniuersis nobis, priuatim  
autem de plerisque nostrum præclare  
merito. Deinde & publica & priuata  
nostra uniuersa precibus communibus  
uestris commendamus, cum mul-  
tiplices perturbationes impendeant  
Germaniæ, & non uno in loco à  
bellis ciuilibus sint pericula manifesta.  
Ecclesiam autem quanta mala affli-  
gant, ante oculos est omnium, & ta-  
men nōdum πάντων ἐπὶ πείρατα ἀεθλῶν  
ἤλθομεν.



ἄλλοι μὲν. Inter hæc igitur tota mente  
precemur & imploremus Iesum Chris-  
tum filium Dei, ut benignè nos custo-  
diat, & Academiam nostram, ex qua  
instaurata ueritas Euangelij Christi in  
orbem penè terrarum propagata est,  
clementer ut protegat, & ministram  
ueritatis suæ, & custodem optimorum  
studiorum salutarium Ecclesiæ & soci-  
etati hominum, esse faciat etiam deinceps,  
néue ab his locis, quibus lux huius  
ius primum affulsit, quicquam tene-  
brarum dispergi sinat. Omnium eti-  
am & docentium & discientium ani-  
mos in ueritatis confessione & profes-  
sione ut coniungat, & quæcunq; glo-  
riæ ipsius contraria sunt, aut alijs detri-  
mentosa esse possunt, ea reprimat &  
extinguat, atq; ita consilia actionesq;  
ac conatus omnium ad gloriam sanctis-  
simi nominis sui, & communem Ec-  
clesiæ & Reipublicæ utilitatem con-  
uertat.

P. P. Prid. Calend. Ianu-  
arij.

Vice



*VICE DECANVS NO-*  
*MINE COLLEGII PHILOSO-*  
*phici, M. Eusebius Menius professor*  
*Vuiteberge.*

*(Patris*  
**Q***uantus amor nostri est, quanta indulgentia*  
*Ætherei, cum spontè uices miseratus acerbas*  
*Vnigenam natum terris donarit habendum,*  
*Qui res humanas tristi iam urgente ruina*  
*Componat medius, per eum quò gratia facta*  
*Constaret rursus antè Deum mortalibus ægris,*  
*Amplius & terris irasci desinat æther.*  
*Quandoquidem foret illa Dei indubitata uoluntas*  
*Vt cuicumq; fides in eo est, imperditus esset,*  
*Atq; unà imperium teneat, uitaq; fruatur.*

*Ille ut res hominũ in melius cum morte referat*  
*Eriperetq; iugo, Deus æthere missus ab alto (ret,*  
*Mortales auras hausit de uirgine casta,*  
*Qui natus Summi superũ cognomine fertur,*  
*Gloriaq; ipsius manifesto in numine uisa est,*  
*Gloria, qua sola fruitur Patre natus ab alto*  
*Quem non principiũ, quem nulla extrema fatigãt.*

*Ergo ille in cunis infans sine diuite cultu,*  
*Pro molli pluma, pro texti uelleris usu*  
*Molle caput fultus stipula, atq; arentibus herbis,*  
*Natura Deus ille, Deus de numine Patris,*  
*Natura manifestus homo de sanguine matris*  
*Editus in lucem nostris habitauit in oris.*

*Testes*



Testes aligeræ legiones per loca campi  
Læticia cumulant magna qui in saltibus illis  
Pastores septis tenerum pecus includebant.  
Illi, ut erant moniti, puerum in præsepe iacentem  
Inueniunt brutum iuxta pecus, inq; uolutum  
Fasciolis: neq; enim temerè euenisse putandum est,  
Agnoscant sed enim non cassam corpore formam  
Assumisse Deum, speciemq; effingere inanem,  
Sed stirpem humanam, stirpiq; per omnia nostræ  
Persimilem, præter labem quæ in corpore nostro  
Tamq; hæret ambæ inter se compagibus arctis, (est.  
Ut nunquam humanã stirpem stirps dia relinquat,  
Adsumtamue semel diuino absumat ab igni.

Atq; ubi iam lucem bis quarta reduxerat Eos,  
Tunc puero generis signum, de morte uetusto  
Imprimitur qua parte uiri sumus, & pia primum  
Gutta cadens pelle incisa sacram imbuit aram,  
Assumtaeq; dedit carnis libamina prima  
Vnus qui noxam pro nobis sanguine soluat. (ces

INVENTI tamẽ hunc contrã qui spargere uos  
Haud ueriti, & sæuire animis, & tendere contrã  
Luce palam, & tenebris, qua se res cunq; dcedere,  
Pars qui se Christo sunt ausi opponere apertis  
Indicijs, magnoq; furore intendere litem:  
Illi hominis stirpem in Christo, Numenue negarunt,  
Aut homini aduersa, aut diuo documenta professi.  
Pars & in obscuro pugnãt, quæ maxima turba est,  
Amplexa istorum penitus fundamenta, quanquam

Hec



( Heu Vatum ignaræ mentes ) non ulla uideri  
Sensa fouere uolunt ulli contraria stirpi.

S E D quia de Christi persona ex indice aperæ  
Cœlestis uerbi sumi censura necesse est: (to  
Non equidem, non uana putant se fingere inanæ  
Auspitio, at certo nixos insistere uerbo  
Clamore ingeminant magno, inflatiq; feruntur  
Per medios impunè uiros, & lumina uulgi  
Præstringūt, & uera animis solatia tollūt. (error,

Quare agite ô iuuenes ne uos malus auferat  
Incautisue animis uarium & mutabile semper  
Commentum irrepit falsa sub imagine ueri:  
Discendum quæ sit uia recta inquirere uerum,  
Et quo sit scriptura modo tractanda uidendū est.  
Scilicet ad Fidei rationem tradita quæq;  
Exigere, & sanctos fas est cognoscere fontes,  
Ne fors impingant fidei in fundamine dicta.  
Quiq; aperit dictis quid dia uolumina narrent,  
Non ille in medium Fidei pugnantia sensa  
Proferat, aut quicquam persuasum captus inanè  
Afferat, & pulchris uideatur floribus austros  
Doctrinæ & liquidis immittere fontibus Apros.

At Fidei ratio, scripturæ existit in ipso  
Consensu liquido, quem mens quæ prædita rectè  
Conferre inter se, & sensu discernere debet (est  
Iudicij normis Verbi de lumine sumtis:  
Et facile est, quoniam superant in pectore nostro  
Notitiæ quæ cuncta ualent discernere mente

CUM



Cum sacer irradiat præcordia credula Flatus.  
Si nulla est homini certa & firmata facultas  
Iudicij: neq; erunt super ulla in mentibus ullis  
Notitiæ, nec erunt ulli quos posse putandum est  
Numinis afflatus dios distinguere uanis,  
Rimariq; acie scripturæ oracula, & angues  
Prudenti cautos imitari indagine mentis,  
Dictorum capti diuersa ut imagine sæpè  
Consulimus uerbi consensum ex ordine longo,  
In dubio, & petimus responsa ambage relecta.

Ergo adhibēda illis qui cœlica uerba recludūt  
Cura sagax, Fidei consensum ex fontibus ipsis  
Quærendi, si multa manu noctesq; diesq;  
Euoluunt monumenta uirūm, secumq; uolutant  
Autores operum uariorum, artisq; repositæ.  
Namq; ministerio linguarum, artisq; sagacis  
Expers, heu nunquam meditando extruderit illū.  
Qualia multa sacris sunt monstra inuecta libellis  
Barbarie dominante locis, malus abstulit error  
Omnia, & in peius doctrinæ sensa retorsit.

Nec sub mente DEI benè consentire putandū  
Si qua suo pugnat discors sententia uerbo, (est  
Et non conueniunt diuino in pectore, quæ non  
Conuenēre prius diuino accommoda uerbo.  
Quæq; in mente mea, Fidei fundamine nixus  
Inter se aduersis luctari iudico formis,  
Hæc pugnant damnata Deo sub crimine falsi.  
Nam duo cum pugnant inter se dicta uicissim,

Ex



Ex illis unum mendax, falsumq; repertum est.

Ergo operæ precium est solerti intēdere mente,  
Omne ut commentum fugias cane peius & angue  
Quodcumq; in uerbo contraria sensa relinquit.  
Sed fugite ò iuuenes Corybantum insana reperta  
Hei male qui nostro sunt tempore sacra professi  
Numine contacti leuo, furijsq; superbis  
Proscribunt, tanquam sectantes scita Sophorum,  
Omnia qui fidei cupiunt ratione probari.

Sed nos ò iuuenes (quod dii prohibere uelitis)  
Iudicij normam non ductam ex ore Sophorum  
Sumimus: ex uerbi patefactio hæc lumine nata est.  
Verum hac ex uerbo posita, certè unus & idem  
Processus rationis, & instrumenta petuntur (est  
Æquè eadem, dubia quæ in re mens nostra requirit  
Cum sub iudicium reuocare negotia sœuit, (rit  
Resq; alias extra præcepta salubria uerbi.

Sed Deus est qui nostra regit studia atq; labo=  
Et Sophiae ingenuas artes in gente piorum (res  
Illustrans seruire iubet tibi Christe, tuisq;.  
Pro quibus, ut dignum est meritas persoluere grates  
Nunc memores canimus tua dona, patremq; roga=  
Ille tuas propter laudes, & propter honorem (mus  
Egregias animas & ueri & pacis amantes  
Æternum auxilio foueat, studijsq; secundum  
Annuat euentum: Spes tu tantum una salutis,  
Tu requies miseris, deus, imperiumq; parentis  
Te penes, in te uno fiducia nostra reclinat.

E

Cumq;



Cumq; per hos menses, sancto ceu more receptū  
Profectū in studijs deceat cognoscere vulgò: (est.  
Nunc quia defuncto studiorum præsiede uero  
Quem non ingenio, quem non pietatis egentem  
Abstulit atra dies, mœrore ut fractus acerbo  
Impendere orbi præsencia fata uideret,  
Atq; altè uera pro religione dolcret:  
Substituor uacuae sedi quicumq; subire  
Censuram cupiunt nostram, uel ferre parati  
Doctrinae specimen fuerint: sua nomina nobis  
Rite ferat, meritæq; expectent præmia palmæ.

ANNO 1562.

PRO DECAN. COLLE  
GII PHILOSOPHICI IN ACA  
demia VVitebergensi M. Eusebius  
Menius.

A Vdiuimus hactenus in priuata ex  
aminatione eos, qui hoc tempore  
testimonium publicum profectus sui  
in studijs Philosophiæ & bonarum ar  
tium petunt à Collegio nostro. Cùm  
autem multis de causis publicè etiam  
de studijs petitorum illorum cognosci  
utile sit, Nunc deinceps ueteri instituz  
to Academiae nostræ ad publicum exa  
men eos producemus, quod hodie,  
Deo



Deo uolētē, hora prima, inchoabimus.  
Et hortamur igitur & oramus uniuersos, quibus dignitatem præcipuam ingenij cultura & doctrinæ studia conciliarunt, Doctores atq; Magistros, ut loco noto his diebus conueniant, & ad explorandum quid profecerint candidati nostri, de studijs pietatis & optimarum artium cum his conferant, & hoc modo publico honori Academiæ, & Collegij nostri inseruiant, cum per se hæc res professionem studiorum humanitatis in primis deceat, & collationum talium fructus sit multiplex. Fruamur igitur liberaliter liberali ocio, quod propitius Deus hætenus studijs nostris concedit, & conferamus de rebus optimis & pulcerrimis dum licet. Cætera ominis causa non libet addere, & in quibus periculis uersemur, sua sponte omnes intelligunt. Etsi autem multæ sunt causæ, quibus boni & intelligentes mouentur, ut ad publicas examinationes nostras libenter ueniant, in præsentia tamen aliquid etiam memoriam piæ D. Sturionis nostri à uestra



humanitate tributum iri confido, Erga  
quem ea fuit affectio uestra, ut si uiuus  
ille nos ad hanc rem conuocasset, ipsius  
etiam respectu cupidè omnes conue-  
nissemus. Cùm autem nunc demortui  
loco hoc agamus, Vicarium pro illo  
munus gerentes, etiam sic uos ei grati-  
ficari cogitabitis. Is autem uir fuit  
Sturio noster, ea pietate, uirtute, do-  
ctrina præditus, ita etiam de Ecclesia  
nostra, atq; adeò publicè & priuatim  
de nobis meritus, ut memoriam mor-  
tui & hoc modo, & quibuscunq; alijs  
pium & fas est, colere debeamus. De-  
mus igitur hoc officium memoriæ ip-  
sius, Inprimis autem & communibus  
studijs & Academiae nostræ, in qua  
pietatis atq; studiorum causa congre-  
gati, & in societate sumus honestissi-  
ma, & unusquisq; quæ ad hanc conser-  
uandam ornandamq; faciunt, à se con-  
ferre atq; præstare studiosissimè debet.

Prop. prid. Id. Febr.

Prodeca



PRODECAN. COLLE-  
GII PHILOSOPHICI IN

*Academia VVitebergensi M. Euse-  
bii Menius.*

**Q**uemadmodum si Sol non es-  
set, ab ea luce quam stellæ sup-  
peditant tenebræ non tollerentur,  
sed in nocte uita degenda esset,  
ut Heracletus dixisse scribitur: Ita si ho-  
mo mentem & rationem non haberet,  
ab eo quod sensuum uirtus præstat, uita  
huius à bestiarum uita nihil discrimi-  
naretur. Docet autem sacra his-  
toria, lucem esse peculiare opus Dei,  
non Solis: nam & lux fuit, & diei &  
noctis discrimina fuerunt, & terra stir-  
pium genus produxit, ante quàm Sol  
esset, ut neq; terra nascentium, neq; luz-  
cis autor hic esse aut dici possit, quippe  
qui quarta primùm die, & post illa om-  
nia quæ commemorauimus, à Deo crea-  
tus fuit. Sed ὄχημα hunc seu uehicula-  
rum creatæ ante eum lucis esse uoluit,  
ut sit non φῶς, sed φωσῆς & administer  
præcipuus omnium quæ à lumine cor-  
lesti



lesti, eò quòd est πρωτογενὲς φῶς, terris  
conferuntur, Sicut ἡ, quos Apostolus  
φωστῆρας appellat, non sunt lumen  
mundi, quod est Filius Dei solus, illu-  
minans omnes qui recipiunt, neque  
oculos ad hoc claudunt. Homi-  
nem autem sic condidit Deus, ut  
à cæteris animantibus eum discrimina-  
ret præstantia eximia, cui uitam, non ut  
illis à natura corporea dedit, sed halitu  
diuino & incorporeo inhalauit, atque  
cum hoc imaginem sui, quæ est men-  
tis, intelligentiæ, iusticiæ, ueritatis, &  
earum uirtutum, quæ sunt expressæ le-  
ge diuina, hac enim continetur pictus-  
ra imaginis, ad quam sumus conditi.  
Sed qua re præstat natura nostra cæte-  
ris animantibus, eam in primis exco-  
li à nobis oportet, præsertim cum de-  
formata hæc sit & detorta miserabiliter  
peccato. Venit autem Filius Dei,  
ut destruat opera Diaboli, & instau-  
ret naturam lapsam, Ad quam rem  
utitur præconio Euangelij, cuius sas-  
pientia naturæ ignota, ab humana sas-  
pientia longissimè recedit, ideoq; Apo-  
stolus



Stolus hoc præconium gentibus stultitiam uideri scribit. Seruire tamen huic & potest & debet, quicquid est ex pristinis uiribus naturæ nostræ reliquum, & uirtus seu præstantia humana uniuersa, Vt hac etiam de causa scientiæ cognitionisq; liberalis facultate studiosissimè se instruere unusquisq; debeat. Et doctrina atq; eruditione Spiritus sanctus in Ecclesia ad pietatis atq; ueritatis Christianæ explicationem & patrocinium usus semper fuit, & his postremis temporibus imprimis utitur. Cumq; res breuiter explicari nequeat, certamina saltem, quæ nostra ætate in Ecclesia commouentur ab ijs, qui uel non benè instituti sunt, uel eruditione abutuntur, hæc, inquam, facile docere cogitantes possunt, sine his doctrinæ adiumentis aduersus semidoctos illos & Sophistas nihil profici, quorum aliqui de natura hominis lapsi sic disputant, ut peccatum non sēgno<sup>iv</sup>, sed naturam nouam faciant, & ad Manichæum dogma de duobus principijs uel de industria tendant, uel imprudentes



dentes delabantur, nihil enim refert.  
Alij Scepticam quandam ἀδιαφορίαν  
inter honestum & turpe introducens  
tes, Christiani hominis arbitrio permittunt,  
ut legi Dei obedientiae conatus  
praestet aut non praestet, Cum quidem  
Sceptici aliquantò liberalius agant, qui  
in bonis & malis usum vitae communis  
sequuntur, ne sint, ut ipsi loquuntur,  
ἀνευέγγυτοι. Alij naturarum in Christo  
discrimina & proprietates confundunt.  
Alij inuitis & uolentibus atque  
etiam repugnantibus conferri salutem  
& S. Spiritum disputant, Alij Stoica  
deliria. Alij alios errores spargunt.  
Haec & similia quemadmodum in in-  
genijs impeditis aut callidis facile, saepe  
etiam sua sponte nascuntur, Ita sine do-  
ctrinae adminiculis refutari non pos-  
sunt. Et extitit tamen aliquando in hoc  
oppido Enthusiastarum genus, qui do-  
cere ausi fuerunt, Ne quis in liberali  
ocio bonis artibus & literis operam da-  
ret, Neue aliunde scientiam aut cogni-  
tionem quaereret, quam à benignitate  
Dei, cui adiumentis humanis nihil esset  
opus.



opus. Neque enim causam esse, cur colere aut uenerari aliquis uellet Deum, si non eodem beneficio, quod datum esset Patribus & sanctis uiris prisco seculo, nos etiam dignaretur: atque adeo par cum Deo commercium colloquiumque precibus nostris flagitandum esse, & urgentibus tribui. Hos Lutherus exagitans, cœlestes Prophetas cognominare solitus fuit, & editis scriptis deliria horum refutauit. Effecerunt tamen hoc illi, ut de Philosophiæ studijs aliquantisper minus sentiretur honorificè, & paucissimi publica testimonia profectus in his sui peterent. Sed successit his hoc tempore progenies, ut Horatiij uerbis utamur, uiciofior, uel Iulianica potius soboles, qui persuadere auditoribus suis laborant, quò quisque sit à doctrina & eruditione imparatior, eò magis esse ad docendum in Ecclesia Christi idoneum. Et eruditionem ex disputationibus & scholis Christianorum exterminandam esse. Hoc genus odium suum erga Philosophiam & doctrinæ studia ostendit uel

E 5 effudit



effudit potius in præcipuo assertore &  
patrono horum Philippo Melantho-  
ne, quem hostiliter persequens, iniurijs  
& calumnijs suis ita eum exercuit, ut  
idem cum ipso fieret, quod de se Moses  
scribit, ut esset afflictissimus omnium  
hominum, quæ uerba cum decima no-  
na ante mortem suam die à conuictor-  
ibus ex cap. 12. lib. 4. recitari audiret  
Reuerendus uir M. Sturio noster  
(cuius loco Decani munus in præsentia  
gerimus) lacrymas profudit, cum natu-  
ra esset ἀτεγντ, eosq; sermones de  
his habuit, ut facile intelligeretur,  
ærumnis atq; afflictionibus piorum in  
studio ueritatis uehementer eum affici,  
& ipsius etiam in hoc genere sollicitu-  
dines atq; curas non esse mediocres.  
Etsi autem non desinit hoc crudele &  
barbarum genus sanctissime mortuo  
Præceptori nostro maledicere, & do-  
ctrinæ studijs atq; Academia nostræ,  
in qua ille hæc instaurauit & constituit,  
obtrectare, Conseruat tamen Deus  
memoriam honoratam uiri optimi, &  
tam in nostra Academia quam in alijs,  
literarum



literarum studijs successus largitur, ut  
sint aliqui, qui hæc utiliter discant &  
doceant. Pro quo beneficio gratias ei  
agimus, & gratulamur Academiae nos-  
træ & Philosophiæ studijs, ita hæc apud  
nos florere, ut non desint, quibus  
præcipui honores in his rectè conferri  
possint. Decretus est autem hoc tem-  
pore à Collegio nostro hic honor  
XXXIII. bonis et doctis uiris & iu-  
uenibus, quorum nomina infra scripta  
sunt, ut Magistri opt. artium & Philo-  
sophiæ publicè renunciarentur, quæ re-  
nunciatio fiet ad diem perendinum,  
qui est XIII. Cal. Mart. Ad hanc igi-  
tur festiuitatem scholasticam hortamur  
uniuersos, qui studiorum causa apud  
nos uersantur, ut frequentes conue-  
niant, atq; hoc officio ornent publicos  
congressus nostros, & in primis com-  
munia studia bonarum literarum atq;  
artium, quæ religioni & ciuili societati  
hominum utiliter inseruiunt.

PP. XV. Cl. Martij.





VVITEBERGÆ  
EXCVDEBANT HÆRE  
des Georgij Rhauu,  
1562.





Zc 6668 QK

ULB Halle

001 585 215

3



915







XV, 88.

4438.

IV. 438

ORATIO  
DE VITA IACOBI  
MILICHII MEDICAE  
ARTIS DOCTORIS  
ac Professoris in hac Academia  
fidelissimi, viri optimi &  
integerrimi.

RECITATA CVM DE  
CERNERETVR TITVLVS  
Magisterij aliquot honestis & doctis  
viris XIII. Cal. Mar.

1562.

PRODECANO M. EVSEBIO  
Memio.

Addita est

BIBLIOTHECA  
CONICKAVIAN

